



Vbo magna corporis robore, & incantandi  
artibus insignis extitit. Itaq; Roricus Daniæ  
Rex eum inter proceres asciuit, & magno loco ha-  
buit. Cum aut circa annum mundi ter millesimum tre-  
centesimum quadragesimum, Suetij defecissent,  
atq; Roricū bello laceſſerent, Magus quidam, qui  
haeſtenuſ ſua arte multos proſtrauit, in mediū pro-  
ceſſit, & Danorum aliquem ad duellum prouoca-  
uit. Dolebat quidem Roricus unius illius uiri pe-  
tulantia publicam uirtutem labefactari, illuſtresq;  
uictorijs Danos hoc modo contemni. Præterea ne  
minem ita animo promptum aut manu strenuum,  
in tanto militum numero reperiri, cui ſalutē ſuam  
pro patria deuouendi cupidio ſuppeteret. Tum Vſſo ille accedens, à Rege  
perquisiuit, quo d nam uincenti p̄emium foret, cui Rex armillas ſpopondit,  
atq; petitori illas statim porrigere ſtatuit. sed conatum eius ſefellit interſtitij  
magnitudo. Armillæ enim languido motu, citra destinatum locum collapsæ,  
fluctibus interceptæ ſunt. Verum Vſſo ne uirtutem avaritiæ postponeret, ſta-  
tim ſe ad pugnam aptauit. Itaq; ſine mora in littore locus paratur, & circus  
milite ſtipatur. Postea pugiles concurrunt, fit fragor, fremit ſpectatrix tur-  
ba, uotorum ſuffragijs discors. Interea athletæ animis excandescunt, & mu-  
tuis uulneribus ruentes, eundem lucis ac pugnæ exitium ambo ſortiuntur,  
ne alter alterius morte gloriā uoluptatemq; perciperet. Eares Rori-  
co rebellium animos conciliauit, tributaq; restituit, Sax,  
libro tertio.